

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Iniuria k cum fonte primo

Quicquid a quolibet hominum passi  
fuerimus iniuste,

aut remissionem accipiemus omnium  
peccatorum, aut si tanta in nobis delicta  
non fuerint, clarioribus honoremur  
coronis.

Crisostomus omelia IX. super  
Mattheum.

Quicquid a quolibet hominum passi  
fuerimus iniuste,

aut remissione peccatorum Deus aut  
amplioris mercedis retributione  
compensat. Atque ut lucidius incipiat  
esse quod dicitur, rationem iuvenimus  
exemplis. Ponamus enim aliquem  
servum multarum pecuniarum proprio  
esse domino debitorem, vim quoque  
perpeti ab iniquis hominibus hunc  
servum, et aliquanta eorum quae habebat  
amittere. Si igitur dominus valens  
coercere raptorem atque violentum, non  
quidem servo restituat erepta, sed tamen  
cuncta quae perdidit sibi illa computet  
reddidisse, putasne laesus est servus?  
Nequaquam. Quid vero si recipiat  
quoque plura quam perdidit, nonne etiam  
lucra damni occasione collegit? Quod  
certe ab omnibus absque ullo probatur  
ambiguo. Hoc igitur et in nobis cum  
iniuste aliquid patimur cogitemus, quia  
scilicet pro illatis nobis afflictionibus,  
aut remissionem accipiamus omnium  
peccatorum, aut, si tanta in nobis delicta  
non fuerint, clarioribus honoremur  
coronis.

Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum  
homilia IX, 2* (E. Bonfiglio ed., 2009,  
p.91, ll.66-79).